



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Valerii Andreae Desselii Erotemata Ivis Canonici**

**Andreas, Valerius**

**Francofurti & Lipsiae, 1720**

Benelo Lectori S.D. Bvrcard Gotthelff Strvve.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63277](#)

## BENELO LECTORI

S. D.

BVRCARD GOTTHELFF  
STRVVE.

primis statim reformationis temporibus nihil magis viris cordatis atque pio zelo prædictis curæ fuit, quam ut omnes papalis fuci reliquæ ex foris eque atque ecclesiis Protestantium plane eiicentur, eademque ad orcos relegarentur. Quantum autem industriæ adhiberent, impeditre tamen non valuerunt, quo minus incruxata quædam atque inueterata remanerent, in quibus remquendis frustra adlaborarent. Ad hæc si Ius Canonicum referamus, forsan non aberrabimus. Constat enim inter omnes, quid de Iure Canonico senserit Lutherus, quanto feruore ductus, ob impuras, quæ in eodem continentur, doctrinas, idem combusserit. Constat, quanto studio peruersas Iuris Canonici

X 4      doctrinæ

doctrinas detestati fuerint Doctores. Constat etiam , in quantum ab eodem resilierint Protestantes. Nihilominus multum absuit , vt illud plane abolerent , quin potius quantum ad Collegia Canonicorum integrum fereretinerent , quantum ad Processum , ius Ciuale ex eodem emendarent. Miror sane , qui factum , quod , dum Status imperii Protestantes Calendarium Gregorianum Iuliano longe emendatius reiicerent , ne quid Pontificis auctoritati dedisse videantur : hoc tamen ius Canonicum , quod Pontificis auctoritatem tantum firmat , tot continent impura , doctrinas nefarias , retinuerunt , nunc longo usu & consuetudine corroboratum. Integrum quidem receptum non est , solum quantum dogmatibus Protestantium conuenit & iuri ecclesiastico. Verum , dum nouam liturgiam , nouum ius Consistoriale , nouum Calendarium , nouas ordinationes ecclesiasticas publicarent Status Protestantes , cur non etiam nouum ius Canonicum , in quod referrent , que ex pontificio viderentur commoda , reiicerent superflua , emendarent nefaria. Hoc certe si factum , tot cessarent controversiae , tot lites , que oriuntut , idque ex eo , quod Canones saepe male adplicantur ad Statum nostrum ecclesiasticum , ut exinde ad mores recurrendum , qui nonnunquam altioris sunt indaginis. Inhaerendum interim huic iuri , usque dum aliud statutum. Dolendum tamen , quod , dum sua re-

ad huc Iuri Canonico sit auctoritas, illud per regulas iuris Civilis tantum corrumpatur. Quod si enim plerosque Iuris Canonici Doctores euoluamus, isti ex iure civili canonum tradita explicare sat agunt, haut considerantes, plane alia esse fundamenta eiusdem iuris, quod ex iure Romano atque prætorio explicandum; alia iuris Canonici, quod ex Conciliorum historia & decretis, antiquitatibus ecclesiasticis, ipsisque pontificiorum moribus trahit originem. Probe itaque in iure Canonico hæc inuicem sunt distinguenda: ea quæ sunt iuris Canonici, quæ legibus moribusue Protestantium introducta, & quæ ex iure Canonico Civili conceduntur ad minicula. In ipsis Duce potius sequamur scriptorem pontificium, qui doctrinam Canoncam purius tradet, nec quidquid est iuris Civilis vel Protestantium intermiscebit: quod ipsum ad reliqua præbebit fundamentum. Ni si enim pura, eademque genuina iuris Canonici dogmata ante probe fuerint explicata, nec ad ipsos mores legesue Protestantium fieri poterit progressus: cum alias dici non possit, quantum vel discrepent vel conueniant. His fundamenis rite iactis, reliqua, quæ apud Protestantes usitata, ex scriptoribus iuris ecclesiastici atque Consistorialis facile possunt hauriri.

Que vero ex iure Canonico ad praxin faciunt  
adque Processum, Practici docebunt. Licet igitur eorum, qui vel compendia scripserunt vel systemata, defectus non sit, pauciores tamen ex iisdem, hoc, quod necessarium est, obseruarunt. Quidam enim ex Protestantibus vel in antiquitatibus diutius haerent, vel breuiter tangentes ea, quae sunt iuris Canonici, ad mores statim pergunt Protestantium, vel nimium quid intermiscent ex iure Ciuii. Vitauit plerosque hos scopulos Valerius Andreas, a patria dictus Desselius. Exinde, dum beatus Parens nullum compendium ad usum Auditorum magis videret accommodatum, quam erotemata eiusdem iuris Canonici, primus in superiori Germania cum animaduersionibus eadem fecit recudi. Communi plororumque adplausu haec erotemata statim recipiebantur, ita, ut non in hac academia solum, sed in aliis etiam publicis & que atque priuatis praelectionibus inseruiren. Dum igitur quartam hanc editionem pararet bibliopola, nouas a me animaduersiones petebat, quod ob alia negotia denegare coactus. Ut tamen ipsius desiderio aliquid dedisse videar, haec saltim praefari constitui, quibus pauca adhuc de auctore & huius libri instituto addere licebit.

Va-

Valerius Andreas, a patria dictus Desse-  
 lius, qui Brabantiae pagus est, a regione Ta-  
 xander vel Brabantinus. Natus hic est V. Kl.  
 Decembris CICCIOLXXXVIII, atque litteris  
 politioribus statim fuit innutritus duce Valerio  
 Houtio, felici ingeniorum formatore. Inde  
 Antwerpiae fuit institutus, ubi per integrum  
 triennium Andreæ Schotto, humanioris litera-  
 turæ (raro inter Iesuitas exemplo) peritissimo  
 a manibus studiisque fuit. Hic illi in Græca  
 litteratura auctor ductorque fuit, in Hebraï-  
 ca lingua Ioannes Haius, ex eadem Societate  
 Theologus. Iactis hinc fundamentis, Duacen-  
 sem adiit academiam, in eademque Philosophi-  
 cis gnauiter incubuit. Inde Antwerpiam de-  
 latus in familia vixit Auberti Miræi & Fran-  
 cisci Schotti, atque in hominum doctissimorum  
 notitiam venit, ut paulo post, anno scilicet  
 CICCIOLVI. Louanium ad Professionem  
 linguae sanctæ vocaretur. Cum autem hucus-  
 que Theologiæ saltim atque linguis Orienta-  
 libus se dedisset, nunc ad Iurisprudentiam  
 etiam animum applicabat, in qua tantum pro-  
 fecit, ut x. Kl. Decembris CICCIOLXXI. supre-  
 mi in iure honores in ipsum deferrerentur. Iu-  
 ris-

risprudentiam inde cum elegantioribus iunxit,  
usque dum anno CIC IC XXVIII. regius In-  
stitutionum Professor renuntiaretur. Denum  
xi. Kl. Septembris CIC IC XXXVI. Bibliothe-  
cæ academicæ tunc recens institutæ fuit præfe-  
sus. De anno mortis non satis constat, ad  
medium tamen seculi decimi sexti vixisse vide-  
tur. Inter ipsius scripta præter Bibliothecam  
**Belgicam** hoc ipsum est præcipuum. Ordinem  
in eodem seruauit Andreæ librorum Decreta-  
lium, ad singulos etiam titulos procedit, at-  
que ex iisdem quæstiones proponit necessarias.  
Aestimandus liber ideo, quod non solum ordi-  
ne procedat auctor, sed etiam singula ex men-  
te pontificiorum satis accurate declareret. Hoc  
quidem deficere videtur, quod non satis ea,  
quæ ex antiquitatibus ecclesiasticis illustranda  
exhauserit, id quod tamen vel viua Doctoris  
voce, vel etiam ex Schilteri Institutionibus iu-  
ris Canonici poterit suppleri. Quantum ad do-  
ctrinam Protestantum, facile ista, intellectis  
rite pontificiorum traditis addisci poterunt, vel  
ex Brunnemanni iure ecclesiastico, vel Carpzouii  
Criminalibus, lucem etiam ad eandem præfe-  
ret beatus parens in animaduersionibus textui  
sub-

• (o) •

subinde subiectis. Adiecit eidem breues quos-  
dam tractatus, qui introductionis loco esse pos-  
sunt ad ipsum textum atque allegationes iuris  
Canonici. Fruere hisce B. L. quod si Deus me-  
liora otia concesserit, pleniorum Iuris Cano-  
nici, maxime in Germania nostra, historiam  
a me expecta.

GEOR-

GER